DE SINGULARI MORBI EPILEPTICI CASU

NUPER IN CLINICO NOSTRO MEDICO OBSERVATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLIII.

PUBLICE DEFENDET

LAMBERTUS AUERBACH

TREVIR.

OPPONENTIBUS:

ERNESTO BRUNSWICKER, MED. ET CHIR. CAND.

IOSEPHO ESCHBAUM, MED. ET GHIR. CAND.

CAROLO BICKENBACH, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

FORMIS I. F. CARTHAUSII.

MDCCCLIII.

PRAECEPTORI SUO

DOCTORI MAURITIO NAUMANN

PROFESSORI MEDICINAE PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI ET POLICLINICI MEDICI SOCIETAT. LITTERAR. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC.

NEC NON

CONSOBRINO CARISSIMO

IACOBO EPSTEIN

D. D. D.

LAMBERTUS AUERBACH.

Prooemium.

Morbi epileptici casum singularem diligenter per novem fere menses in clinico nostro medico observandi, Prof. clarissimus Dr. Naumann occasionem mihi dederat. Qua re cum permotus fuissem, ut ad cerebri atque omnino nervorum systematis affectiones animum attenderem et quae viri doctissimi de iis scripsissent, investigarem, factum est, ut meditanti mihi, qua de re ad assequendos summos medicinae honores dissererem, aptissimum videretur, non modo illum epileptici morbi casum describere, sed etiam aetiologiam et pathogeniam probabilem dirissimi et refractarii morbi afferre. Haud ignoro, rem propositam maximi et gravissimi esse momenti, ad quam penitus illustrandam viri vel summa experientia et doctrina excellentes vix satis parati videantur, praesertim, cum casus, de quo in dissertatione agitur, valde fuerit complicatus et propter insignia phaenomena certe rarissimis adnumerari debeat. Quamvis igitur

libellum hunc a tirone compositum mediocris pretii fore praevideam nihilque me esse proditurum sciam, quod scientiam medicam ditare possit, tamen non est, cur a proposito desistam meo, imo spem alo, fore ut aliquatenus proposito satisfaciam.

Pars prima.

Ad casum ipsum enarrandum iam transeamus.

L. W. novendecim annorum, B . . . ., parentes adhuc vivere ac bona uti valetudine dicit. Soror eius et corpore et animo imbecillo. Certum est, quum avunculum mente captum fuisse, tum gravissima mentis valetudine filium eius laborasse. Nec vero quisquam consanguineorum unquam convulsionibus est vexatus. Puer ipse aegrotus, morbis infantiae feliciter defunctus, sanus deinde fuit, nisi quod tempore nocturno dentibus crepitabat. Anno aetatis undecimo cum ex urethrae orificii cutanei angustia, operatione instituta, convaluisset, nihil postea de valetudine querens, omnem diligentiam in litteris collocavit. Qui quidem magna vi et percipiendi, quae tradebantur, et memoria retinendi tum excelluisse dicitur, ita ut puer annorum quatuordecim complurium linguarum peritus esset. — Per id tempus, quo ludum frequentabat, masturbandi vitio vehementissime erat deditus. Quam in effrenatam libidinem magis magisque sese immersit, aetate nondum matura effusus erat in venerem. Non multo post gonorrhoea affectus, intra sex hebdomades consanuit. Sed sex septemve mensibus post litteris ad patrem missis capitis dolorem vehementissimum seque in insaniam fere impellentem conqueritur. Neque

sanguis missus, neque remedia purgantia sat levamenti attulerunt.

Mense Maio anni 1849, nocte amicum, quocum una dormiebat, e somno excitavit suspirando et manibus pedibusque pulsando. Tremore deinde aeger correptus, nonnullis momentis post pallidus, frigidi sudoris plenus, crassis labiis spumans, rigidus; quietus autem fuisse et per reliquam noctem dormiisse dicitur. Quo facto, Bonnam reversus, aliquamdiu omni morbi tentatione liber, hilaris erat et socialis, sed semper fere de molestissimo capitis dolore querebatur.

Mense Iunio, hora matutina carmina cum recitaret sorori, iterum convulsionibus correptus est atque horis nonnullis post animum recepit, nesciens, quid se factum esset. Cum tali modo accessiones, quieto spatio duorum triumve dierum interiecto, noctu plerumque aliquamdiu repetissent, aegrotus ingenii facultates inprimisque memoriae vim deminui sentiebat. Accedit, quod post accessiones dolor capitis adaugebatur et aliquantum temporis mentis perturbatio et omnium sensuum torpor erat; aliquoties etiam vomitus fiebat. Sperma sua sponte fere quaque nocte largiter effluxisse aegrotus me non celavit. E medicamentis, adhuc usque aegroto datis, nominanda sunt:

Rad. valerianae, artemisiae; vinum seminum colchici; hydrargyrum bichloratum corros., hydrarg. chlorat. mite, zincum acet., argent. nitr. cryst. Fonticulus quoque et setaceum adhibita. — Sed haec omnia parum profecerunt. Etenim paroxysmus inde a mense Maio anni 1850 typum quendam accepit, ita ut tricesima tertia quaque vel sequente nocte, sensu ardoris ex intestinis ad praecordia et iterum ad pharyngem ascendentis prae-

vio, aegrotus maxima cum vi invaderetur; et quidem accessiones priores celeriter sese excipiebant, quae vero diebus nonnullis post fiebant, vi erant leviore.

Nec in melius inclinata res est, postquam aegrotus auctore Nassio, clarissimo viro, per longum tempus pilulis e camphora paratis, infuso artemisiae ac postremum extract. Cotyledonis umbilici usus est.

Status praesens die XVIII. Maii 1851.

Aeger, statura mediocri, eo corporis est habitu, qui valetudinis parum labefactatae praeferat speciem; animus vero ad accipiendam offensionem tam mollis, ut facile furore incendi possit. Saepe vitae taedio afficitur studioque mortis sibi ipsi consciscendae. Figura capitis nihil exhibet, quod displiceat. Queritur de pertinaci et vehementi capitis dolore. Oculorum aciem diminutam et memoriae hebetationem crescentem aegerrime fert.

Neque ex pectore diligenter explorato laborat, neque ex intestinis ullam capit molestiam. Appetitus tantum ciborum paulo est deminutus, stercusque scybalis non dissimile. Seminis fluxus, vinculo iam per noctem ad genitalia applicato, rarior evasit. Aeger hilari est animo, ut scribendo, legendo, ambulando delectetur. Paroxismo appropinquante, sensu ardoris ex intestinis ascendentis se vexari dicit. Somnia terribilia, in quibus videt impiorum sedem, tormenta aeterna, mortuorum hominum imagines, quiete dormire eum non sinunt; quin etiam vigilanti saepe species ante oculos obversantur, ambulanti, scribenti, legenti aliasve res agenti.

Pedes frigere solent, pulsus satis lentus sexagesies fere quinquies in sexagesima horae micat.

Sitis non adaucta, lingua muco albo, tenui obtecta.

Diagnosis.

Ad eam constituendam, observationem, epilepsiam haud raro hereditariam esse, minime omisimus, praesertim cum e narratione pateat, et avunculum mente captum, et filium eius rationis usu plane fuisse privatum, et sororem aegrotantis mente hebeti laborare.

Sed cum constet, nullum e consanguineis unquam affectum esse convulsionibus, probabiliter diiudicari posse credimus, morbum illum epilepticum ortum esse nobis videri ex masturbatione, cui quidem vitio aeger ille iam a puero totum sese dederat.

Ios. Frank: „In sexu", inquit, „utroque liquoris „spermatici evacuatio praematura aut repetita nimis, po„tissimum per onaniam aut tribadum negotia, vel illius „quoque retentio, praecipue inter feminas coelibes, aut „excitatus, sed ob coniugis impotentiam non placatus „aestus venereus, interdum et normalis coitus systema „nervorum labefactat [1]."

Tissot de epilepsia dicit: „Si enim terrorem et ver„mes excipiam, nulla epilepsiae exstitit frequentior causa, „quam onania." — Alia est quaestio, cephalaea illa, qua aegrotus iam inde ab initio ad hoc tempus cruciatur, unde originem ducat. Si verum est, cerebri morbis maxime obnoxium esse puerilem aetatem, quippe qua potissimum sanguis in caput penetret ac celerrime partium ad nervorum systema spectantium fiat incrementum, atque partium genitalium vis maxima sit in plexus nervorum abdominalium et in medullam spinalem, non est dubium,

---

1) Ios. Frank, de morbis systematis nervorum.

quin huius aegroti cerebrum prava ista consuetudine vehementissime affectum sit, neque dubito affirmare, dolorem illum acutissimum a congestione sanguinis in cerebro paullatim facta originem accepisse. Cui cum medendi methodo adhibita finis non imponeretur aut cum aeger debito regimine morbum progredientem non impediret, intelligi potest, cur varii quoque effectus perdurent.

Sed hac de re alio loco disseram et ea nunc afferam, quae de istius epilepsiae et certo tempore recurrentis et complicatae prognosi statuimus. — Qui in morbum epilepticum inquisiverunt deque eo disseruerunt, ad unum omnes consentiunt, conditionem miserorum illorum, qui ante pubertatem morbo illo affecti nec liberati sint, pessimam esse, quamvis omnia adhibeantur remedia, quae ad curandum morbum laudentur [2]). Nec, quum persuasum sit nobis, illius iuvenis morbum comitialem e masturbandi consuetudine ortum esse, meliorem eius fore fortunam sperare possumus.

Hoc etiam considerandum, quod tantum abest, ut insultus sint deminuti, ut creverint in dies et sensus magis magisque hebetaverint, ingenii facultates comminuerint, rationis ipsius usum aliquantum temporis tollant: ut appareat, morbum cum natura miserrimi illius prorsus coaluisse.

Restat igitur hoc tantum, ut commemorem, pertinaciam doloris capitis, animi perturbationem, noctes propter terribiles imagines inquiete transactas necnon species vigilanti ei ante oculos obversantes affectionem significare gravissimam.

---

2) Sic exempli gratia sentit dignissimus ille Boerhaave.

Therapia.

Remedia, quae dicuntur antiepileptica, iam adhibita erant, priusquam nos curationem suscepimus, nec vero quidquam profuerunt:

Radix valerianae[3]), artemisiae[4]), cuprum sulphurico-ammoniatum[5]), argentum nitr. crystallis[6]), flores zinci[7]) et alia, quae valde laudantur in curanda epilepsia.

Iam ut ad medendi methodum, quam initio auctore Prof. Naumann, viro doctissimo, secutus sum, transeam, hac re maxime innisa est, quod paroxysmi typum quendam periodicum exhibebant, ita ut insultus plerumque iisdem singulorum mensium diebus fierent. E remediis igitur, contra morbos typicos commendatis, efficacissimum esse nobis visum est chininum sulphuricum; nec non lavacrum ex sinapi factum secundo quoque vespere pedibus adhibebamus, caloris e capite deducendi dolorisque

---

3) Iam Galenus, Dioscorides et Aretaeus illud antiepilepticum, noverunt. Tissot contendit, casum morbi epileptici, qui „valeriana" adhibita sanatus non fuerit, sanari non posse.

4) Wagner „medicamentum", inquit, „divinum" esse radicem artemisiae.

5) Cuprum iam ab Aretaeo (liber I. de curatione morbor. acut. Cap. V.) commendatur eique adsentiunt Boerhaave, van Swieten, I. P. Frank.

6) Celeberrimus ille Heim argent. nitr. affirmat per sexaginta annos efficacissimum sese expertum esse remedium.

7) Omnium medicaminum esse optimum „flores Zinci", ait Hufeland, quod rarissime in curatione epilepsiae eum fefellerit.

sedandi causa. Quod levamentum quo certius efficeretur alvoque durae consuleretur, victum tenuem, vegetabilem et aquosam potionesque, quibus tartarus depuratus solveretur, proposuimus. Profluvium genitale ut cohiberetur, placuit, ut porro quoque vinculum ad genitalia applicaretur.

Pars secunda.

De morbi natura octo per menses observata.

Aegroto igitur eo modo, quem supra diximus, per hebdomadem fere tractato, nihil morbus erat mutatus, nisi quod alvus solutior magisque liquida, quam antea evaserat. Vespero diei 29. mensis Maii aegrotus sensit rem ardentem ab imo ventre ad praecordia et altius se tollentem. Atque hebdomadibus post novissimum paroxysmum quatuor praeteritis, noctis hora undecima primus insultus est factus, quem ad lucis ortum tres secuti sunt. Tempore interjecto, tanquam mente captus, oculis in lecto defixis iacebat ac voce tantum fortiore interroganti dolore capitis vehementi se vexari verbis inexplanatis respondebat. Hora septima verpertina nonae accessionis observandae mihi occasio erat, quam nunc describam. Spasmis clonicis et brachia et crura affecta continuo modo agitabantur. Os rubicundum et flagrans mira cum velocitate et vi iactabatur; collum pronum, incurvatum, ut maxilla pectori adhaerere videretur. Oculi huc et illud movebantur, inter limbos palpebrarum distantes album apparebat. Dentibus frendebat, rhonchos ducebat; pulsus nimia erat crebritate ac duritia. Paullo post quietus et sudore viscido foetidoque manans ac sopore oppressus.

Usque Maii diem ultimum accessiones factae erant

undecim. — Iam quae nervorum systematis propriae sunt, notae praevaluere. — Facies aegroti torporem et summam apathiam ostendebat. Corpore valdopere immobili, facultate percipiendi omnino orbatus esse videbatur; vultu inani, oculis languidis, pupilla amplificata nec lucem incidentem aegre ferente, obstupefactus erat. Iam vero die postero vel biduo post inquietus erat et, somno privatus, e lecto surrexit, quo, custode adhortante, rediit. Oculi in loco quodam erant defixi, ad quem digitos in cunei formam compressos, tendebat. Deinde strias straguli numerabrat, floccosque legebat. Tantum abest, ut interrogatus responderit, ut distorto ore adstantibus arriserit et modo clamando, modo canendo sese delectaverit.

Accessio duodecima facta est die quinto Iunii, nova posteri diei vespere. Quibus praereritis aegroti status denuo mutatus erat. Quamvis enim neque miri utriusque manus desinerent motus et oculi nunc in uno loco defixi essent, nunc circumvagarentur, tamen turbationes mentis evanescere sensim coeperunt. Crescens sui ipsius conscientia et facultas res mente percipiendi, facile animadverti poterat. Initio enim eorum, quos bene noverat, nomina appellaturus, litteras, ex quibus composita erant, ordinatim enuntiabat. Brevi post iam verbis utebatur, esurire se dixit cibosque poposcit, id quod per complures dies non fecerat. Sed quae dicebat, ea maximam partem eiusmodi erant, ut appareret, quam ad res libidinosas aeger esset propensus: quae quidem libido etiam paullo ante conspicua erat ex eo, quod semper genitalia manibus appetebat.

Nihil aliud per illud tempus, quo aegrotus tam graviter et corpore et mente laborabat, adhibuimus, quam solutionem natri sulphurici et clysteres acetosos, quibus

et durities alvi tenacissima et congestio in capite facta tolleretur. Etiam ne lingua morsibus laederetur, cura est adhibita. Memorandum adhuc est, tum pulsum sexagies quinquies septuagiesve micasse, sub vesperum autem pulsus esse solebat ictuum octoginta quinque aut nonaginta. Os valde foetidum, lingua muco e colore albido flavescente obducta.

Octo demum diebus post paroxysmum ortum aeger ad eum mentis usum pervenit, ut quae vellet, quae sensiret, satis distincte diceret. Necdum vero, quae vel ambulans viderat, vel modo legerat, memoria tenere poterat. Praeter natrum sulph. solutum aliquamdiu etiam acidum sulph. dil. adhibitum est, cum simul et de capitis dolore et calore aeger queri coepisset. Nec vero deminuta est affectio molestissima, quamquam etiam pediluvia e sinapi facta eodem, quo antea, modo adhibebantur. Somnia illa totumque agmen simulacrorum redierunt.

Chinini usus non erat, cur omitteretur, nec, ut eius medicamenti sex grana quotidie sumerentur, praecipere cunctati sumus; priore igitur dosi haec duobus granis erat maior, ac paucis iam diebus post grana octo praescripsimus.

Sed quia hac curatione status morbi nequaquam fuerat mutatus, quum et capitis dolor, et somnia terribilia et notae illae, quae supra commemoratae sunt, remanerent, spem aliquam ponentes in tartaro stibiato, ut qui valde commendetur in morbos nimia nervorum systematis functione insignes, methodo nauseosa uti statuimus, tartari stibiati grana quatuor ad aquae dest. uncias sex praescribentes, cuius solutionis altera quaque hora tantum sumeretur, quantum cochleari caperetur. Ac quidem initio levamento aegroto haec curatio esse

videbatur, cephalaea subito fracta. Nausea affectus est minima.

Nec vero tam efficax et salubre fuit medicamentum, quam esse initio videbatur. Aegrotus enim iam brevi post quasi globulum ardentem ex intestinis ascendentem sentiebat. Paroxysmus quarta quaque hebdomade fieri solebat. Contigit quidem, clysteribus acetosis adhibitis ac sinapismis ad suras et epigastrium applicatis, ut et capitis dolorem et sensum illum ardentem tolleremus; quin etiam quieto somno nocte insequenti usus est aeger, somniis non vexatus. Nec vero mali reditus diutius potuit prohiberi: hora meridiana denuo miserrimus ille correptus est paroxysmo, cuius primi duo insultus levissimi fuerunt; atque tempore pomeridiano plane vacabat accessionibus mentisque compos erat, ac solum de debilitate et capitis oculorumque dolore conquerebatur. Erigere poterat corpus, loqui magna cum vivacitate, sed animo erat oppresso.

Idem status erat aegroti, postquam accessiones adhuc quatuor factae sunt neque conscientia carebat post nonum insultum. Sed quae decimum secuta sunt symptomata, iis, quae antea descripsimus, fuere similia: sensus expers, immobilis, oculis semiclausis, vultu vecordi cubabat. Nonnunquam canebat, ridebat, alta voce clamabat, tum e lecto exsiliebat, ambulabat per conclave, obstacula vitans et in lectum redibat. Manus adstantium exposcebat vel suam miris gestibus dabat. Fictis nominibus quosque appellabat, singulas saepe nominum syllabas deinceps efferens.

Quo in statu nonnullos per dies noctesque aeger versatus est. Ex iis, quae modo dixi, apparet, accessiones illas omnino et leviores fuisse, quam superiores, et pauciores, attamen omnium sensuum perturbatio, apathia,

quae eas sequebatur, difficultasque res animo percipiendi diutius quam antea tenebat. Licet mentis ac corporis vires sensim iam redirent, aeger tamen in summa tristitia morositateque perseverabat. Miserrimum omnium sese habebat, quod et diurno et nocturno tempore vexaretur vehementissimo capitis dolore, molestis somniis imaginibusque ante oculos obversantibus et libidinosis et horribilibus. Defixus saepe erat in cogitationibus mortis aliarumque rerum tristissimarum. Interdum se non iam in vivis esse putabat.

Noctu saepe de lecto exsiliebat, custodi, num quid vellet, interroganti nil respondebat, sed vultu stupido et perturbato eum intuebatur. Tempore insuper praematuro sensu illo ardoris compluries cruciabatur, ita ut ad desperationem paene adduceretur.

Tartari stibiati eadem dosis, quae antea adhibita, nihil levationis etiam tunc attulit. Triginta septem diebus post novissimum paroxysmum, postquam signa consueta praecesserunt, convulsionibus vexatus est duodecim, subsequente summa mentis perturbatione. Pulsus mirum in modum variabat: nunc tardus, duriusculus, quinquaginta ictuum quinque vel sexaginta, nunc octoginta vel nonaginta in parte horae sexagesima.

Sed cum multum mea intersit, nihil praetermitti, quod ad cognoscendum statum aegroti sit utile, epistolae locos gravioris momenti afferam: „Vires, inquit. et corporis „et animi admodum debilitatae sunt. Caput dolet vehementer; quae modo cogitavi, difficulter memoria teneo. Noctes transigo inquietas, perpetuis vexatus cogitationibus et mortis et suppliciorum, quae apud inferos luuntur. Tibi confiteor, mortem voluntariam me „saepe animo agitare.“

Sub finem Augusti mensis, cum tartarus stibatus per longum tempus adhibitus nihil profecisset, ad camphorae usum transivimus, quod quidem remedium contra statum nervorum systematis ex genitalibus praesertim turbatum ab omnibus commendatur. Praeter camphoram etiam chininum sulphuricum praescriptum. Neque autem hac medendi ratione aegrotus molestissimo capitis dolore est liberatus. Imo crescebat malum, cum alvus praeter consuetudinem saepe biduum triduumve esset astricta.

Convulsiones denuo appropinquare ex animi motu pulsuque quasi vibranti atque sensu illo ardoris, de quo querebatur aegrotus, conjiciebamus.

Sed plures tum, quam superioribus duobus mensibus, fuerunt accessiones. Vomuit inter paroxysmum compluries, cuius quanta vis fuerit in mentis statum, facile est intellectu.

Per septem dies aegrotus vultu stupido in lecto iacebat, omni cogitandi et sentiendi facultate orbatus. Pulsus sexagies plerumque tempore ab insultibus vacuo in horae sexagesima micabat; corpus quasi immobile erat. In tanta cerebri virium confectione necesse erat adhiberetur infusum florum arnicae cum natro nitrico, cui additum erat syrup. rhamni cathartici. Praeterea clysmata et sinapismi adhibita. Aegrotus, postquam praeteriit tempus, quo mentis status vesaniae non erat dissimilis, tardissime ad rationis usum rediit ac facultatem loquendi resque diiudicandi recuperavit.

Cum igitur ea quoque curatio nihil profuisset, neglecto chinino sulph., sub finem Novembris emulsionis camphorae e granis duodecim paratae circiter uncias sex cum natri nitrici drachma una ac dimidia praecepimus. Praeterea in scrobiculo cordis fonticulum ponendum et inde

ab illo tempore carnes minus largiter praebendas curavimus.

Morbi status, qui tum est secutus, a superiore multum differt. Antea enim intervallis lucidis aeger satis patienter miseriam suam tulerat variumque in modum a tristibus cogitationibus animum abduxerat sive ambulando, sivi legendo sive inter suos versando. Sed iam totus detitus erat sollicitudini ac perpetuis conscientiae angoribus ita excruciabatur, ut, ad desperationem adductus taedioque vitae captus, interdum manus sibi intulisset, ni custos cultrum ei eripuisset. Terribiles somniorum species quietem nocturnam turbabant neque expergefacti anxietas tristitiaque ullo modo poterat sedari. Taciturnum semper vultuque moroso eum videbas. Praeter eas, quas memoravi, molestias, quas aegerrime ferebat aegrotus, memoriae quoque vim magis magisque comminui sentiebat, ac tantum abest, ut mens sana praevaluerit, ut magis quam antea, rebus fictis deditus, larvisque et aliis simulacris vanis, quae se videre putabat, fuerit sollicitatus.

Ad hanc miseriam ineunte secunda Decembris hebdomade sensus ille ardoris accessit in imo ventre nascentis. Quo postquam, variante vi doloris, per dies aliquot insequentes aeger laboravit, paroxysmo epileptico est tentatus, cuius insultus pauciores, quam superiores, vi et indole eos adaequabant. Nec caput modo vehementer dolebat et ardebat, sed etiam de ructibus acidis valde aegrotus querebatur. Undecim tantum erant huius paroxysmi accessiones, sed diutius quam antea aegrotus in statu satis iam noto commorabatur. Quum et animi et corporis vires paullulum recuperasset, factum est, ut, cubiculo relicto, graviter perfrigesceret et brevi post regio glandulae parotidis imprimis dextrae tumesceret.

Remediis internis adhibitis nec externis neglectis, iam diebus octo post aegrotus e morbo, quem nuper nactus erat, convaluit.

Ineunte vero novo anno 1852 aegrotus clinicum reliquit, cum nulla medendi ratione sanitas eius restitui posset; nectamen omni spe destitutus ad senem quendam sese contulit, qui celebritatem aliquam in curando morbo comitiali inter populares assecutus erat. Ad hunc usque statum de morbi decursu disserere, in animo erat.

Pars tertia.

Varia igitur apparuerunt symptomata, ut capitis dolor pertinacissimus, memoria hebes, ingenii facultates paullatim labefactatae, animi denique aegritudo et status tum abouliae tum vesaniae non dissimilis. Eiusmodi etiam sunt sensuum deceptio et somnia terribilia aliaque, quae iam sum descripturus, signa. Quaeritur, harum rerum quae sola epileptici morbi diuturnitate ortae sint.

Constat enim, epilepsiam saepe esse causam, cur memoria labefactetur ac mentis perturbationes fiant. Boerhaave, vir doctissimus, narrat, militem quendam convulsionibus affectum, infantis prorsus similem fuisse.

Tissot nullum sibi dicit notum esse epilepticum, qui, accessionibus saepe tentatus, vel de vi memoriae vel alia ingenii facultate labefactata non esset questus. Fabius ille Columna Neapolitanus, vir doctissimus, accessionibus vexatus epilepticis, tantopere memoriae vim amisit, ut ne litteras quidem postea nosset. Quin etiam van Swieten se permultos vesanos invenisse ait, qui, cum insultus epilepticos identidem habuissent, rationis usu aut subito aut paullatim essent orbati. — Ex his omnibus apparet, maxima calamitate affici epilepticorum cerebrum, quod, cum sit sedes intelligendi et cogitandi omniumque motuum corporis moderator, male affectum, omnes etiam et animi et corporis vires perturbet necesse est.

Est vero supra dictum, aetate pubertatis cerebrum morbis valde obnoxium esse, cum tunc sit commotionibus cuiusvis generis patens et mollius, quam quod rebus vehementius laedentibus possit resistere.

Aegrotus autem puer erat ingenio optimo et splendidissimo, nimia quadam cogitationis ubertate praeditus proclivisque ad res, quae cerebrum non leviter afficiant oportet.

Accedit, quod affectionem quandam morbo opportunam cerebro iam hereditate traditam esse ex anamnesi perspicuum est: eoque facilius, sanguinis fluxu ad cerebrum adaucto, status hyperaemicus factus est vasorum sanguiferorum et piae matris et eorum vasorum, quae sunt in substantia corticali. Naturalis autem status restitui plane non potuit, quoniam causae non removebantur, imo vero aegrotus omnem cogitationem ac mentem in explenda libidine figere perseverabat. Quo factum est, ut brevi post, morbo epileptico ineunte, capitis dolore afficeretur pertinacissimo. Cephalaea erat pungens et corporis et animi vires conficiens. Simul aderat sensus caloris tantoque aeger dolore cruciabatur, ut caput disrumpi seque ad insaniam agi putaret. Inde ab hoc tempore cum rarissime liber esset illo dolore, in fronte plerumque aut temporibus sedenti, ingenii vigor visque memoriae paullatim coepta sunt labefactari. Hic memorandum esse puto illius generis cephalaeam et ab A b e r c r o m b i e, viro doctissimo, et ab aliis viris summa experientia praeditis, encephalitidi chronicae esse tributam. Atque haud scio multum abesset, ut in illo, de quo agitur, aegroto fieret inflammatio. Sed vigor ille iuventuti proprius videtur effecisse, ut sanguis cumulatus resorberetur et malum aliquamdiu remitteret. Quod si verum est, nihil magis ap-

paret, quam omnium cerebri functionum statum naturalem mutatum vel potius perturbatum esse, cum, una parte male affecta, altera quoque aegritudinis fieret particeps. Atque ita quidem re vera se habere neque e causa biliosa aut gastrica cephelaeam illam esse exortam, ex hoc apparet, quod neque cum typo coniuncta erat neque colorem e flavo albescentem aeger ducebat, et hypochondria et venter, ne vetera huc spectantia afferam, dolore omni vacabant. Accedit, quod capitis dolor et rheumaticus et arthriticus remittere solet neque si forte lucidum intervallum teneat, tam est acerbus, quam qui morboso statu cerebri et hyperaemico quidem efficitur. Nec catarrho denique vel febri minime dolor tribuendus videbatur.

Corpus sive prospera valetudine utitur, sive morbo aliquo affectum est, nulla fit mora vitae actionnm, nisi forte mortem morbus attulerit. Atque illud in hoc aegroto animadverti potest. Etenim cum sanguinis congestio, quae in capite fiebat, nulla omnino ratione posset mederi, factum est, ut malo saepe redeunti eae partes cerebri, quarum status normalis potissimum erat laesus, minime resistere possent, et ut vasorum quasi parietes labefactarentur, qua de causa sanguinis in cerebro circulatio non potuit restitui. Ita igitur intelligimus, cur cephalaea non modo tolli non potuerit, sed etiam mentis perturbatio creverit et convulsiones epilepticae factae sint. Neque enim negari potest, cerebro tam graviter affecto, vim illam, quam in medullam spinalem id exercet, esse sublatam eamque causam fuisse spasmorum illorum, quos supra descripsi. Quae quidem sententia confirmatur eo, quod, vasis sanguine nimis impletis, saepe epileptici, insultibus tentati vehementibus, apoplexia mor-

tui sunt. Eoque minus, quin ita se habeat res, possumus dubitare, quia convulsiones primo et pauciores erant et leviores, tum vero per paroxysmos periodicos saepius eum invadebant et statum sopori similem efficiebant, quem omnium sensuum torpor sequebatur.

Sed si quis dixerit, convulsionum praeter cerebrum alias quoque saepissime esse causas, respondebo, iam ante illas exortas cephalaeam adfuisse cum incipiente mentis facultatum iactura.

Statui illi, in quo corpore immobili, facultate percipiendi omnino adempta, vultu inani, pupilla dilatata aegrotus iacebat, succedere solebat conditio vesaniae non dissimilis; in qua cum versaretur, e lecto surgebat, adstantibus distorto ore arridebat ac clamando, cantandoque sese delectabat, ne alia, iam relata, iterum commemorem. Haec omnia significare videntur, quae cerebri mutatio effecerit, ut illa symptomata paroxysmo quoque epileptico coniungerentur. Equidem censeo, exsudationem ex impletis vasis in partem cerebri cineream necesse fuisse sequi serosam, ita ut pars illa, quae et involvitur et pervaditur membrana illa, quae pia mater dicitur, praesertim in hemisphaeriorum regione in oedematis quasi statum adduceretur. Quae quidem res tantam habet vim, ut cerebrum, quominus munere suo fungatur, aliquamdiu valde impediatur. Inde igitur omnium ingenii virium repentina iactura.

Qua autem ratione symptomata illa iam biduo post aliis plane diversis excipiantur, ex hac re sequitur, quod pedetentim exsudatio tolli videtur magna resorbendi vi, quae est in hoc aegroto. Id vero ita se habere, argumento sunt sensuum usus atque ingenii facultates tam lente reversa, ut diebus demum compluribus post cre-

scentem et sui conscientiam et ceterarum rerum agnitionem animadverteremus: id quod consentit cum ea ratione, qua affirmatum est, pressionem deminui, qua cerebrum esset affectum. Ac quidem aegrotus tum poterat loqui, cibum poscere, alia facere, quae omnia aliquot diebus ante facere non poterat. Conditione autem tolerabili dum utitur aegrotus, satis erat alacer, amans societatis et res suas obire poterat, tantummodo capitis dolorem vehementissimum usque conquerebatur. Multo vero saepius — neque id novissimo tempore mutatum — sana quum erat mente, moerori indulgebat, non potens ullius rei agendae; nulla re, neque blande appellando, neque oblectamentis offerendis a moestitia poterat revocari.

Supra iam taedium vitae commemoratum est ex eo profectum, quod omnem spem sanitatis unquam recuperandae perdiderat. Saepe et odio et timore hominum afficiebatur, ut eorum societatem fugiens, in locis desertis erraret. Lacrymas saepe, quum erat solus, profundebat. Cuius rei, quae turbatio quaedam sensorii communis dici potest, causa proxima nihil est, nisi mala cerebri affectio. Ac timor quidem ille sine ullo dubio tribuendus est adversae cerebri valetudini, quia etiam nunc assidue fere tenet neque cum eo coniuncta sunt symptomata, quae ad turbatas aliarum corporis partium functiones possint referri. Quae omnia, praeterquam quod pulsus erat tardus, pedes semper frigebant, vomitus interdum fiebat, demonstrabant, cerebri statum naturalem esse mutatum. Iam vero non possum, quin de variis quoque somni morbosi signis disseram. Huc spectant pavores, somnia terribilia, quae omnibus fere noctibus aegrum vexabant; pollutiones quoque haud raro factae.

Repentino terrore excitatus aeger e lecto surgebat ac auxilium quaerens custodem adibat. Quas quidem res quum ad cerebri vitae rationem referendae sint, fusius de iis dicendum est. Etenim cum functiones illius corporis partis affectioni eius omnino respondeant, qua mutata mutantur, cerebro male affecto, et ipsae a naturali suo statu discedant necesse est.

Ut enim inter somnum sanorum hominum cerebri vis, cum non moveatur, manifesta non est, ita etam arbitrandum est, somnia fieri terribilia, cum cerebrum sanguinis motu agitato vehementer sit affectum. Nonne inde impedimentum quoque fit, quominus iustus cerebri habitus servetur? Minime igitur est mirum, tam varia occurrere symptomata, quae demonstrent fontem morbi esse cerebrum, unde omnia illa oriantur. Accedit, quod aegrotus non modo tempore nocturo, sed etiam interdiu speciebus miris larvisque terretur.

Notabilis erat mania illa erotica, quae sub finem cuiusque paroxysmi ex cogitationibus et gestibus libidinosis apparebat.

Ioseph Frank, vir celeberrimus, hac de conditione aegrotantium, „aeger“, inquit, „non amore pro individuo „aliquo flagrat, sive imaginario, sive a se tantummodo „viso, sed ferino solum veneris desiderio ardet, lasciviam „oculorum exhibet, manibus genitalia saepe fricat, quo„rum attactu valde delectatur. Nil aliud loquitur aut „imaginatur, quam de alterius sexus consortio, de rebus „lascivis et inhonestis, in libidine explenda omnia ponit „et videt.“

Gestibus autem ac sermonibus lascivis atque impudicis, etsi rariores minusve manifesti erant, etiam, dum mentis compos erat, saepe utebatur. Quae quidem res

maximi momenti mihi esse videtur ad opinionem nostram de morbi sede confirmandam. Etenim ut cetera symptomata omnia ad cerebri affectionem referenda esse demonstravimus, ita eandem etiam vehementissimae illius libidinis causam esse non difficile est intellectu. In cerebri enim parte posteriore et quidem in cerebello vis esse dicitur, appetitus sexuales movendi. Quod si verum est, non est mirum, quod cerebellum male affectum partium quoque corporis, quae ab eo pendent, statum naturalem perturbat.

Restat, ut rem commemorem, quae aegrotum gravissimo dolore afficiat. Memoria enim eius nunc est tam labefactata, ut literarum, quarum antea studiosus fuerat, scientiam prorsus fere amiserit: quin etiam nunc in dies vis illa videtur decrescere. Res vel verba, de quibus modo cogitavit, e memoria subito elabuntur. Interdum etiam recordatur, sed inversa et locorum et tempore ratione. Neque per paroxysmos solum linguae obmutescere solet, sed etiam tempore ab iisdem vacuo haud raro nunc impedita est, ita ut difficilime eloquatur vel balbutiat vel plane haesitet.

Quum status cerebri hyperaemicus ad hoc usque tempus nullo modo tolli potuerit, coniici potest, adaucta cerebri virium debilitate, aequalem sanguinis circulationis statum illius partis adeo paullatim esse turbatum, ut exsudatio efficeretur vel aquosa vel lymphatica, id quod saepe fieri solet in meningum et encephali ipsius affectionibus diutius tenentibus neque per se mortiferis. Ea vero exsudatio tolli plane non potest, antequam denuo aegrotus paroxysmo sit tentatus. Atque haec mihi causa videtur esse, cur aegroti conditio in dies etiam peior futura sit.

Sanitatis autem unquam recipiendae spes nulla omnino est, quoniam morbus epilepticus, postquam aegrotus in caput delapsus per hebdomades fere duas acerbissime vexatus est, interruptus tantum non autem sublatus est.

Etenim sanguis ex aura et naribus multus profluebat, omnium sensuum facultatibus carebat, et alterius lateris paresis fiebat. Deinde insultibus epilepticis, ut antea, est correptus.

Iam vero finem disserendi facturus, non possum, quin quae initio dixi, repetam, me levioris tantum momenti rem prodidisse; attamen

„in magnis et voluisse sat est.“

VITA.

Natus sum Lambertus Auerbach Augustae Trevirorum die V. memsis Maii anni MDCCCXXVII, patre Emanuelo, quem morte mihi abreptum lugeo, matre Babetta e gente Schloss. Fidem profiteor iudaicam. Primis litterarum elementis imbutus, per septem annos gymnasium Trevirense frequentavi, quod adhuc eodem directore gaudet clarissimo Dr. Lörs. Deinde testimonio maturitatis munitus, mensi Novembri anni MDCCCXLVII inter cives almae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae a rectore Magnifico van Calker receptus, apud cl. Aschbach, philosophorum ordinis decano spectatissimo nomen professus, per dimidium annum lectionibus professorum cl. Welcker, Sommer, Schopen, Ritter, Knoodt, van Kalker, Kinkel interfui. Tum philosophorum orqinem relinquens, medicorum ordini a decano spectatissimo cl. Weber adscriptus sum.

Professores clarissimi, quorum scholis exercitationibusque practicis interfui, hi sunt.

Treviranus, G. Bischof, Budge, v. Feilizsch, Noeggerath, Schaafhausen, Maier, Weber, Albers, Hoppe, Boecker, Nasse, Naumann, Kilian, Wutzer, Harless, E. Bischoff.

Praeceptoribus meis clinicis ducibus Nasse, Wu-

tzer, Kilian, Naumann, artem medicam per duos annos summa cum laetitia et omni studio exercui. Quos viros omnes optime de me meritos grato quam maxime colo animo, semperque colam.

Quum anni praeterti hieme exeunte morbum incidissem, per dimidium annum, ut sanitas mihi restitueretur, in urbe patriae commoratus sum.

THESES.

1) *Nullum gastritidis chronicae et scirrhi ventriculi incipientis certum est discrimen.*
2) *Symphyseotomia plane est reiicenda.*
3) *Punctio vesicae urinariae optime in linea alba est instituenda.*
4) *In primiparis partus praematurus artificialis instituatur licet.*
5) *Morbi valvularum cordis stethoscopio solo sunt dignoscendi.*
6) *Rei medicae notitia mediocris profanis plus nocet, quam prodest.*
7) *Non est differentia inter scrophuloseos naturam ac tuberculoseos.*
8) *Sine diagnosi non medicamentum non medicus.*